

175¹⁾

CLEMENS PAPA VII

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicuti ex litteris dilecti filii nobilis viri Andrae Gritti ducis Venetiarum accepimus, per diversos Romanos Pontifices predecessores nostros visitantibus ecclesiam Sancti Marci Venetiarum in festo Ascensionis Domini nostri Iesu Christi singulis annis plenaria indulgentia sub certis modo et forma concessa fuerit, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur; et quia festum praedictum instare dignoscitur, et propter suspensiones per nos hoc praesenti anno iubileo factas indulgentia praedicta effectum consequi nequeat, Nos cupientes animarum Christi fidelium paterna caritate consulere, volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod indulgentia et litterae praedictae etiam in dicto festo proximo venturo suum consequantur effectum in omnibus et per omnia perinde ne si suspensiones praedictae a nobis nullatenus emanassent, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac suspensionibus praedictis, etiam si caveretur in eis quod illis nullatenus posset derogari coeterisque contrariis quibuscumque.

Datae Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, Die III Maij MDXXV, Pontificatus nostri anno secundo.

176²⁾ *Exemplum litterarum Serenissimi Imperatoris ad sanctissimum Pontificem maximum.*

Beatissime pater, domine reverendissime.

Exhibuit nobis reverendus Baldassar Castillonius Apostolicae sedis protonotarius vestraeque Sanctitatis apud nos nuntius, litteras Beatitudinis vestrae anulo piscatoris obsignatas, datas nona Martii, et pro credentia ei commissa nobis etiam nonnulla verbo scriptoque retulit. Placuit profecto ex his didicisse optimum vestrae Sanctitatis in nos animum, de quo numquam dubitavimus nec diffisi fuimus, nec in malam partem quod gestum est coepimus, sed benignius interpretati sumus, prout Vestra Sanctitas ex litteris nostris quas prima fluxi mensis Februarii ad eam dedimus, iam aperte didicisse potuit, quamsemper ut patrem habere, observare et ut Christi Vicarium Christianique gregis pastorem

venerari et colere cupimus. Nec immerita vestra Sanctitas de nostra in hostes victoria congratulari laetarique videtur. A Domino nostro factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hinc enim praebuit Divina Clementia iter, quod omnibus non patebat, sed invium clausumque et quasi desperatum videbatur ad pacem scilicet quietemque christianorum ad hostes fidei repellendos, conterrendos, ut ad haereses sectasque erroneas extirpandas, ad christianam religionem ampliandam stabiliendamque, gregem quoque dominicum in unum ovile redigendum. Nil enim cordi nostro ab ineunte aetate magis inhesit- 176* que, ut Deo in primis, deinde christianae reipublicae satisfacere possemus. Unde is qui scrutator est cordium, qui mentem nostram novit, et nihil ignorat, suae pietatis oculos in nos convertens impedimenta ac offendicula quibus iter pacis praecludebatur submovit, caliginosam nubem veritatis notitiam obumbrantem claritatesuo lumine astersit, gressusque nostro in semitam rectam disposuit; nec ab re Vestra Sanctitas prophetico quodam spiritu praedixerat, phoedus illud cum gallo percussum communis pacis auspiciis fore, nam gallus eo enim fretus fundamento viribus nostris ut arbitrabatur diminutis seque multo superiorem pulans victor victusque ad aequas pacis condiciones trahetur. Quod superest Sanctitatis vestrae nuntio et verbo et scripto respondimus, et amplius per oratores nostros vestrae Sanctitati referendum, explicandumque commissimus. Quibus eadem Sanctitas Vestra fidem praestare dignabitur, quam diu feliciter vivere et Ecclesiae suae praesae cupimus.

Datae in oppido nostro Maioreti, die IIII mensis Aprilis MDXXV, regnorum nostrorum Romani VI, et aliorum decimo.

Subscriptio

CAROLUS divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper augustus, Rex Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem etc. Archidux Austriae.

Mandato Caesaris
PHIL... NICOLA

A dì 7, Domenega. Vene in Collegio domino 177*
Altobello Averoldo episcopo di Puola, olim Legato
in questa terra, di nation brexan, el qual è stato go-
1)

(1) La carta 174* è bianca.

(2) La carta 175* è bianca.

(1) La carta 177* è bianca.